



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

VII. Illustrissimum Principem, condendâ Academiâ, eximiam suam in societatem Jesu voluntatem declarasse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

## CAPUT VII.

*Illustrissimum Principem, condenda Academia, eximiam suam in Societatem Jesu voluntatem declarasse.*

**H**Ancigitur Universitatem (sic enim ipsis quoque Jurisconsultis approbantibus, appellemus) Ecclesiae potissimum commodo, & dignitati institutam, Princeps Illustrissime, curae, atque potestati Societatis JESU committendam, tradendamque judicasti. Sic enim tuo rogatu decernit in suo diplomate Pontif. Max. Ipsam Universitatem, ac studium generale sic erectum & institutum, curae, regimini, & administrationi dictae Societatis, & illius Praepositi Generalis, seu ab eo deputandi, qui totius Universitatis Rector existat, praefata auctoritate (*Apostolica*) etiam perpetuo superponimus, & submittimus. Eodem spectat, quod Caesar jubet eam gubernari, juxta formulam Dilinganae, aliarumque Academicarum in constitutionibus ejusdem Societatis comprehensam. Etenim B. Ignatius Societatis JESU Fundator non modo putavit e republica fore, si sui homines unum cum aliis in publicis Academicis versarentur, sed etiam, si ita DEO cordi esset, ut ab aliquo Principe, vel Rep. alicujus Academiae administratio Societati crederetur, non commisit, ut posterius certas ab eo leges, & instituta desiderarent. Ejusmodi Academiae sunt non paucae toto orbe excitatae, quarum primam fuisse accepimus Gandiensem a Francisco Borgia ejus loci Duce, qui deinde Societati se adjunxit, primis illis ejus incunabulis fundatam. Secuta est Mamertina in Sicilia, a Joanne Vega Prorege, Caroli V. Caesaris auspiciis condita. Tum Eborensis in Lusitania, fundatore Henrico Cardinali, qui ultimus suae stirpis Rex postea fuit. In Gallia, ut alias omittam, maximè illustris est Flexiensis, quam Rex Henricus IV. cognomento Magnus, ea in domo, quae infanti ipsi

4. Parte  
const. c. 11.  
& seq.



domicilium fuerat, erexit, ejusque in templo Cor suum condidit. In Germania nostra primus Otho Truchses Cardinalis Augustanus, Dilinganam Academiam ab se fundatam totam Petro Canisio, Societatiq̄e permisit. Eum secutus est Serenissimus Carolus Austrius Archidux, Ferdinandi I. filius, Maximiliani II. frater, qui anno MDLXXXVI. Græcii in Stiria, Academiæ ab se munificè institutæ, ac locupletatæ Societatis homines rectores, & magistros delegit. Quem nuper imitatus est ejus filius Leopoldus Passaviensis, & Argentoratensis Antistes, posito Molleshemii in Alsacia publico Societatis Gymnasio. Horum tantorum Principum exemplo, Princeps Illustrissime, cum hanc Academiam, quæ populis ditionis tuæ æternæ salutis præsidium, & immortale ornamentum esset, meditareris, fecit vetus illa, totque illustribus promeritis testata in hujus Societatis homines benignitas, & gratia, ut non alios ei præficiendos putares. Nimirum ut flumina à modicis orta principii, quo longiùs à capite recedunt, hoc majora sumunt incrementa: ita, Princeps Illustrissime, conceptam jam inde ab anno MDLXXX. quo primùm in hanc Urbem pedem attulit, in hanc Societatem benevolentiam majoribus quotannis beneficiis cumulare non desinis. Cujus quidem benevolentia perpetuos socios, atque consortes habuisti admodum Reverendos, ac Prænobiles Cathedralis Ecclesiæ Canonicos, quibus hæc Societas suorum in hac Urbe commodorum originem, ac progressum, cum summa gratia ac memoris animi significatione acceptum se ferre profiteretur. Illi enim sunt, qui eam primùm ad spem religionis Catholicæ, vehementer eotempore laborantis, erigendam huc, ad conciones primùm, deinde ad scholas quoque habendas advocarunt. Illi domum, quæque ad victum, & cultum pertinent tot Sociis, ac Patribus, quot ante hic versati sunt, quàm ad Collegii formam redigerentur, certis vestigalibus, perpetuis attributis, liberaliter & abundè providerunt. Illi gravissimis de-

cre-



cretis Societatis famam, & commoditatem contra adversarios, atque adeò, anno MDLXXXVIII. contra ipsum quoque Principem, aliter, ac nos de religione sentientem, qui missis legatis, Patribus Scholas interdicti cupiebat, gravissimis sententiis, decretisque tutati sunt. Denique illud natalibus, & dignitate amplissimum Collegium nunquam desit, societati ara quædam esse atque perfugium: nunquam favere studiis: nunquam labores sublevare: nunquam gratiam, & patrocinium impendere. Itaque hoc natali Academiæ nostræ, Princeps Illustrissime, intelligis opinor officii nostri esse, horum quoque, quibus illa primam quasi stirpem suam debet, amplissimorum, ornatissimorumque Procerum, non sine gratiis, & beneficentiæ laude meminisse. Atque cum omnium semper erit dulcis, ac jucunda memoria, tum verò præcipuè illorum, qui primis illis temporibus plurimum in accersenda, fovenda, tuenda Societate laborarunt. In his familiam ducebant Henricus de Melschede Decanus, Melchior à Plettenberg Camerarius, Guilielmus Schilder Scholasticus, quos precamur, ut DEUS immortalis felicitate remuneretur. Ex iis verò, qui etiamnum suam nobis lucem impertiunt, occurrunt duo hujus Ecclesiæ lumina admodum Reverendi & Nobiles DD. Walterus Brabeck Præpositus, & Arnoldus ab Horst Decanus, qui, ut sunt omni eruditionis & prudentiæ laude florentes, ita nullum faciunt finem præclara studia suis opibus, & favore adjuvandi, ac propagandi. Ejus adeò rei in Academia, monumentum semper erunt duæ turres, magnis utriusque impensis ita extructæ, ut Academica juvenus ne pedem quidem inferre possit in Gymnasium, quin horum præstantissimorum Ecclesiæ Procerum recordetur. Meministi enim, Princeps Illustrissime, ejus diei, cum primùm hujus novi gymnasii fundamenta sunt jacta, quo die hi duo Ecclesiæ nostræ summates, in amplificando DEI honore, dignitate Patriæ, commodis juventutis, Principem suum, & Antistitem honesto, jucundoque certamine æmulantes, perpetuum hujus suæ in bonas litteras voluntatis

tis



tis in ipsis quoque saxis, & muris, his turribus ædificandis, monumentum extare voluerunt. Video me jam pridem, Princeps Optime, abuti patientiâ tuâ, qui orsus tibi gratulari, ad Canonicorum cœtum deflexerim. sed nimirum non decebat hodie Academiam THEODORIANAM, hoc suo natali, illius splendidissimi Collegii oblivisci, cujus suffragiis factum est, ut Theodorus Theodorianæ Academicæ parens esse possêt. Nam cùm inter eos tot essent præstantissimi viri litterarum, Societatis, avitæ religionis omnes amore inflammati, videntur singulari DEI nutu eum Principem elegisse, qui unus cum omnium ardore, ac zelo paria facere possêt. Quid enim illi collato studio, communicatisque consiliis ad amplificationem bonarum artium optare potuissent, quod non sit in tuo principatu perfectum? Dolebant quidam arctius Societatem habitare, quàm ut plures liberalium disciplinarum magistros, aliosque divinæ rei operarios capere possêt. Tu, Princeps Optime, simulatque ad Ecclesiæ gubernacula accessisti, dedisti operam, ut hunc idoneum maximè sacris functionibus locum nancisceretur. Dolori erat multis piis hominibus hoc D. Joannis Apostoli templum, quod antea fuerat quædam exquisitæ pietatis officina, duodecimum jam annum profanorum artificum strepitu personare. Confestim magno ære ab iis, quibus venundatum erat, redemptum VI. Idus Quint. anni MDXCII. Societati tradidisti, eamque donationem Clemens VIII. Pont. Max. eodem anno IX. Kalend. Novemb. confirmavit. Desiderari quoque videbatur à nonnullis, ut Societas, in hac Urbe non temporariam duntaxat sedem, sed stabile justumque Collegium haberet. Id verò, insigni accessione ad priora vectigalia factâ, cùm ejus quoque foundationis Clemens Octavus auctor factus esset, non longo intervallo perfecisti. Quid quòd, dirutis veteribus ædibus, quæ erant circum hoc templum, novas, laxas, firmas, & propè, quàm ferat religiosorum hominum captus, augustiores, maximis impensis ædificare es aggressus? Ita que



Itaque cum hæc Urbs, si ulla alia, sæpe vastata, ac fœdata incendiis, veteres illas magnificas, cujusmodi olim fuisse accepimus, jam pridem desideret, cœpit ab hac præsertim excelsa, & quadrata turri, qua Collegium ornasti, nonnihil pristini recuperare splendoris. Nihil dico de bibliotheca cum aliis, tum præcipuè sanctorum Patrum voluminibus perquam ornata: Nihil vel de Organo non minus oculis, quàm auribus jucundo: vel de hoc marmoreo pietatis tuæ in ara maxima monumento, quibus rebus hoc templum mirificè decorasti: Nihil de suburbano sacello B. Virginis quod Romanum vocant, quod, ut sodalium ejusdem Divæ pietati faveres, tuamque quæ sanè est in Matrem DEI eximia, demonstrares, tuis opibus instauratum, & locupletatum Societati possidendum, curandumque tradidisti. Mihi certè videtur, Princeps Optime, adhuc fuisse inter DEI in te, & tuam in nos benignitatem, jucundum quoddam, decorumque certamen. Nam cum ille plures, ac plures usque ad hanc ætatem annos tibi largiretur, neque ullum effluere sineres sine aliquo vel in res divinas, vel bonas litteras liberalitatis documento, nimirum diu vivendo, diu vivere meruisti. Inter alia verò gratissimum Societati, & Ecclesiæ in primis salutare illud munus accidit, cum domum Probationis in hac Urbe Societati, idoneis vectigalibus instituis, ubi religiosæ militiæ tirones rudimentum ponerent, eamque pietatis ubertatem combiberent, quæ deinde cum bonis artibus conjungentes, ad plurimorum mortalium salutem longè latèque derivarent. Jam videbantur tua in nos beneficia ad id fastigium pervenisse, ut nihil accedere posse videretur, cum tu, Princeps Optime, ordinis novæ molis fundamenta jacere. Nova sublimiorum doctrinarum professoribus alendis perpetua vectigalia constituis: das litteras ad Pontif. Max. atque Cæsarem, quibus jus condendæ Academiæ flagitas: extruis hoc elegantissimum, commodissimumque Gymnasium: quod DEUS bene evenire jubeat: Societati JESU Academiam Theodorianam tradis atque commendas. Pro quo intelligit illa quidem quantas tibi, Princeps beneficentis-



sime, gratias debeat, sed quoniam hoc ejusmodi beneficium est, quod non solis verborum officiis compensari possit, sed quod acrem industriam, assiduos labores, continuas propè lucubrationes, atque vigiliis desideret, DEUM immortalem orat & obsecrat, ut qui tibi hujus instituendæ Academiæ est auctor, idem omnibus qui sunt, quique post aliis erunt in annis, Societatis Professoribus, & magistris eum studendi, docendique ardorem injiciat, eam constantiam, roburque tribuat, eam vim & lumen ingenii, & quod caput est, eas pietatis virtutisque copias, ut semper huic tuæ in divinum honorem, Reip. utilitatem, juventutis commoda præclaræ voluntati aliqua ex parte respondeant.

